UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Formularium Episcopale

Barbosa, Agostinho

Coloniae Agrippinae, 1680

Formula XXXII. Litterarum dimissorialium Missae Sacrum facienda pro Presbytero abesse valente ad bienuium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10456

Visual Library

FORMULA XXXII

Litterarum dimiſſorialium Miſſæ Sacrum facienda pro Presbytero abeſſe valente ad biennium.

D. Rodericus à Cunha, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus, ac Dominus Bracharæ, Hiſpaniarumque Primas &c. Dilecto nobis in Chriſto N. Presbytero Bracharenſi, Salutem in Domino ſempiternam. Tibi ut ad Civitatem Vlixbonenſem, ac ad alia hujus Regni loca proficiſci, ibique Sacrum facere, Confeſſiones Chriſti fidelium audire, aliaque divina officia celebrare, de licentia tamen ordinarii loci, ſeu illius Vicarii generalis, poſſis & valeas, hiſce literis per biennium facultatem concedimus, & impartimur, atteſtantes te in Sacro Presbyteratus Ordine conſtitutum eſſe, non excommunicatum, ſuſpenſum, interdictum, ſeu Eccleſiaſticæ cenſuræ vinculò irretitum, nec de aliquo crimine ad præſens inquiſitum, vel diffamatum, quod ſciamus, ſed bonis moribus præditum. Quare teipſum omnibus in Chriſto Patribus Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis DD. Archiepiſcopis, Epiſcopis Abbatibus, Prioribus, Vicariis, cæteriſque officialibus quibuſcunque quantum cum Domino poſſumus pro commendato per præſentes damus. In quorum fidem, &c.

FORMULA XXXIII.

Litterarum dimiſſorialium, quæ mihi Presbytero Romam proficiſcenti conceſſæ fuerunt.

D. Alphonſus Furtado de Mendoza, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus, ac Dominus Bracharæ Auguſtæ, Hiſpaniarumque Primas &c. Omnibus, & ſingulis Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Dominis ac DD. Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis tam ſæcularibus, quam Regularibus, ac eorum Officialibus, locum tenentibus, aut vices gerentibus, ſeu quibuſvis aliis miniſtris ubique terrarum exiſtentibus, ſalutem ac ſummam felicitatem. Notum facimus, & atteſtamur, quod ex hoc Archiepiſcopatu Bracharenſi proficiſcitur Romam, atque in alias orbis terrarum Regiones R. Doctor Auguſtinus Barboſa, oriundus ex oppido Vimaranenſi hujus diœceſis, ritè & rectè ordinatus, vir ſanè doctus ac in juris, Pontificii, Cæſareique facultatibus apprimè verſatus, cujus ac patris

ejus